

## CONCLUSIO.

*Principium contradictionis: Impossibile est idem simul esse & non esse: primum cognitionis principium dici potest, juxta præmissam definitionem.*

Prob. Primum cognitionis principium ceteri debet axioma ita universale, ut per aliud probari nequeat, per ipsum vero cetera axiomata, si ea negari contigerit, possint demonstrari saltem indirecte; atqui principium contradictionis has omnes habet conditiones. Ergo . . . Prob. Min. 1. Est axioma, seu propositio Theoretica ex solis terminis manifesta. Cum enim eam esse experiamur mentis nostræ naturam, ut in illius potestate minime sit judicare, quod aliquid sit simul, & non sit; principium illud statim ac intelligitur, ab omnibus sine probatione, tanquam certissimum admittitur. 2. Est axioma universalissimum ex notionibus maxime abstractis formatum, quod omnibus convenire potest, quæ sunt, vel esse possunt. 3. Axioma illud per nullum aliud probari potest; nam si negetur, corruit omnis humanæ cognitionis certitudo. Et quidem fingamus idem posse esse simul, & non esse; ergo dum cogitas, seu tui ipsis tibi conscius es, fieri potest, ut non cogites, seu conscius non sis tui ipsius. Perit adeo certitudo propositionis, quæ Cartesio de rebus omnibus dubitanti tantæ evidentæ visa est, ut eam omnis evidentæ normam constituerit. Similiter aliorum, quorumlibet axiomatum certitudo tollitur;